


Piscis australis, natum facit gaudere in mercimonijs & piscatione. Si quis hanc
 tum imaginum proprietates melius scire uoluerit, ea quæ de ipsis in fabulis sunt dis-
 ligenter repetat.

Exemplum genituræ propositæ.



Conclusio prima. Significatores spiritus existimaui Martem cum participatio-
 ne Solis atq; Mercurij. Nam Mars dominus est locorum Mercurij & Lunæ. Mer-
 curius autem Almuten ascendens, Sol uero Almuten loci Mercurij, eidem atq;
 Marti permixtus est.

Conclusio secunda. Significatur itaq; ratione Martis, natum futurum audacem,
 potentem, fortem, iracundum, armorum cupidum, bellorum autorem, animosum,
 sine pauore mortis pericula aggredientem, qui neminẽ sibi præferat, nec cuiquam
 se unquam submittat, plurimum de suis uiribus confidat, impetum in aduersarios
 suos frequenter faciat, rebelles destruat, prælijs interesse desideret. Omnia tamen
 hæc cum honore, & fama maxima faciet, auxilia amicis præstabit, inimicis nocebit,
 legitime tamen in cunctis se geret, eritq; ipsius delectatio in rebus ad bellicam uir-
 tutem pertinentibus, & in exercitijs ordinandis atq; ducendis, Id sumitur ex loco
 Mercurij, & Almuten eius, similiter ex loco Lunæ, in domibus Martis.

Conclusio tertia. Delectabitur quoq; plurimum in rebus pulchris & formo-
 sis uidendis, quia Venus est in Ariete.

Conclusio quarta. Constantiam & firmitatem in propositis suis, animum pa-
 tientem in laboribus ferendis, ueridicum, rigidumq; contra uicia, memoria tenacem
 honoris amatorem, inimicitiarum diuturnum retentorem, uinci dolentem, nec fa-
 cile à proprijs consilijs cedentem. Denotant Luna & Almuten eius in signis
 ixis.

Conclu